



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

X. Markgraf Woldemar verleiht einem Bürger Neu-Landsbergs Hebungen aus der dortigen Spitzmühle, am 23. März 1319.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

X. Markgraf Woldemar verleiht einem Bürger Neu-Landsbergs Gebungen aus der dortigen Spitzmühle, am 23. März 1319.

Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, recognoscimus tenore presentium publice protestantes, quod discreto viro Fritzone de Stenwitz, cui nostro de noua Landesbergk, eiusque veris heredibus contulimus iusto feodi titulo, et vendimus rationaliter duos Choros siliginis in molendino Spitzmole dicto — percipiendos et possidendos iure pleno pacifice et quiete. Nec proinde dictus Fritzo vel eius heredes nobis ad aliquod seruitium astringentur, propter quod dictus Fritzo pro se et suis heredibus nobis dedit et persoluit in numerata pecunia XVI Marcarum argenti Brandenburgensis, de quibus dicimus ipsos quitos. In cuius rei testimonium nostro sigillo muniri fecimus presens hoc scriptum. Testes fuerunt presentes Nobilis vir Guntherus, Comes de Keuernberg, Henningus de Blankenburg, noster dapifer, Henningus de S. . . , noster Aduocatus, milites, Thidemannus, prepositus de Granzoye, et Hermannus de Luchoue et alii fide digni. Actum et datum Grünberch, anno domini M^o. CCC^o. XIX^o. sexta feria in Dominica Judica.

Aus dem Landsberger Copialbuche No. VIII. Gercken's Codex V, 177.

Anm. Das Datum muß verschrieben sein: vermuthlich ist statt in Dominica Judica zu lesen ante Dominicam Judica.

XI. Markgraf Woldemar vereignet der Stadt Neu-Landsberg das Dorf Glinick, am 6. August 1319.

Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, recognoscimus et ad vniuersorum notitiam tenore presentium publice volumus peruenire, Quod fidelibus nostris dilectis ciuibus ciuitatis nostre noue Landesbergk dedimus et per presentes literas damus donatione solemni villam Glinick cum omnibus suis distinctionibus, prout ab antiquo huc usque distincta fuit et est debito et consueto proprietatis titulo perpetuis temporibus possidendam. Renuntiantes simpliciter pro nobis nostrisque heredibus et successoribus omnibus iuri actioni et proprietati, que huc usque competebant et possunt competere in futurum. Sed proinde predictae ciuitatis ciues presentes pro se et suis posteris satisfecerunt pro nostro libito voluntatis, et ne super huiusmodi donatione nostra cuiquam in posterum dubium valeat suboriri, presentem literam super ea dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Testes huius facti sunt nostri fideles Drosseko et Henningus de Blankenburg, nostre curie dapiferi, Henricus de Stegeliz senior, Henricus iunior de Stegeliz, et Henricus de Crochern, milites, Euerhardus, prepositus in Berlin, et Hermannus de Louchou, Capellanus, cum aliis pluribus fide dignis. Actum et datum in Swet, anno domini M^o. CCC^o. XIX^o. die beatorum Sixti Felicissimi et Agapiti martyrum.

Aus dem Landsberger Copialbuche No. VII.

Anm. Das gewiß ganz richtige Datum dieser Urkunde ist von Gercken Codex V, 176 verdächtigt.